



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Exemplorvm Libri Tres**

Liber Secvndvs, Siue Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm  
Detestationem, Per Qvadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 12. Correctio fraterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](#)

uita firma. Sed sum natu minor? at omne animal diligit simile sibi; sic Eccli. 13, 19.  
 Et omnis homo proximum sibi; cur hac ego dilectione abstinebo? cur  
 tacendo videbor facta eius approbare? aut de eo, tanquam inemene-  
 dibili desperare? Sed saepe me iam repulit admonentem? Atqui  
 jam ultra vocauit, morbus eum domuit. In tempore veni. jam est  
 occasio ulceris secandi. Erumpe, anime, in lachrymas, & verba,  
 quae leniri vultu possunt, ut tolerentur; apud Deum perdi non pos-  
 sunt, si apud fratrem repudientur.

Ita secum tacite sermocinatus, tandem in has voces erupit: :  
 Heu mihi, frater charissime, qualis es, quantum mutatus ab illo, quem de  
 formositate omnes, cum admiratione, paulo ante, pradicauerunt? quem  
 certatim tot puella, & tot matrona concupierunt intueri? Quo color? quo  
 forma excellentia? quo venustas oculorum recepsit? Ubi nunc sunt illece-  
 bra? ubi soci illi iucundi, qui aures tuas obscuris iocis, mentem Cupidi-  
 nibus Venereis repleuerunt? Cur nunc te non inuisunt? Cur nunc deserunt,  
 cum solatijs tibi maximè est opus? cur, in extrema rerum desperatione,  
 relinquunt? Ast non ego, id agam; fratrem frater non deseram: dum-  
 modo non celes, neq; dissimiles mihi, quidnam tibi adeò dirum acciderit,  
 ut mente percussus, & totis artibus contremiscens, ac sudabundus, ad  
 omnem aura motum expanescas? Ecquid veteris vita tua es memor?  
 ecquid verborum meorum recordaris? Nonne vaticinatus sum tibi, ven-  
 turum tempus, quo te pœniteat, Spiritui S. per me, per q; alios, te adfru-  
 gem vocanti, toties restitisse? Talibus vulnerato verbis vel oleum af-  
 fudit, vel medicinale vinum, dixitque: Mi charissime frater, si  
 tremorem sudoremq; hunc tibi vehementia morbi exprimit; bono sis ani-  
 mo, nondum actum est de tua vita; multi grauioribus è morbis reducti  
 sunt ad sanitatem. Quod si vero tua te peccata, & anteacta, in tot flagi-  
 tijs, vita memoria tantopere exterret, presto est remedium; ingemisce,  
 peccata detestare, emendationem promitte; veniam ora; sacerdotem vo-  
 ca; neq; spem abijke. Bonus est Deus, infinita est clementia illius; cuius  
 misericordia non solum pendenti in cruce latroni veniam, repente, & ob-  
 pauca verba impertinit; verum etiam Paradisum spondit. Idem man-  
 suetissimus Deus, etiam hodie adhuc poenitentiam tuam expectat; neque  
 ulli, quam diu viuit, peccata sua retractanti, cœlum claudit. Vita hac  
 via est; quam diu in via sumus, redire licet, & corrigere errorem, qui nos  
 in abrupta duxit.

XII.  
 CORRECTIO  
 FRATERNA.

Z

Hac